

per praefatam fatalem pugnam nimium quantum extenuatus, ac in specie Regimina etiam pedestria Hungarica magnopere diminuta comperirentur, opportunissimum fore, si ad explendum ejusmodi Regiminum defectum Tyrones pro viribus suis statuere ac Suae Majestati Sacratissimae offerre, hocque modo clementiam Caesareo Regiam novo obsequio demereri studerent Domini Status et Ordines. Qua Suae Excellentiae Banalis propositione intellecta, etsi satis secum reputarent Domini Status et Ordines, Nationem hanc esse confiniariam, adeoque ex Instituto suo proprium domi Militem alere, non alia Regimina explere debere, vires proinde Patriae hujus nimium exhaustum iri, si praeter hactenus suppeditatam, ac mox iterum profecturam Confiniariam aequae ac Banderialem notabilem sane militiam, insuper Tyronum quoque statutione, adeoque duplici, et militandi nempe et Tyrones statuendi onere gravaretur; vicit tamen Dominorum Statuum et Ordinum mentes gravissima Suae Majestatis Sacratissimae necessitas, imminens Haereditariis altefatae Suae Majestatis Provinciis, adeoque Patriae etiam huic periculum, praeprimis vero avita intemerataque, in quibusvis gravissimis circumstantiis promptissime semper contestata Dominorum Statuum et Ordinum erga Reges suos fides ac fidelitas, hisque de Causis Comuni atque unanimi consensu determinatum est, ut ad complementandum Hungaricorum Pedestris Ordinis Regiminum Statum Tyrones Numero 1403, inclusis etiam partibus maritimis, pro hac duntaxat vice ac sine ulla exinde nefors formanda consequentia, sponte ac benevole offerantur, a Sua Majestate Sacratissima vestitu, armis, aliisque militaribus requisitis benigne providendi, ita tamen, ut hoc nomine Dominis Terrestribus nihil praestationum aut laboratorum colonialium decedat. Quod si vero quispiam in statutione ejusmodi Tyronum refractarium, praeter spem, se exhiberet, ut Vice-Comes Comitatus Autoritatem, ex ejusmodi contumacis subditis idoneum capiendi et statuendi habeat, Ordinatum est.

Articulus Secundus.

Ad elaborandam Repartitionem Deputatio ordinatur.

Ad elaborandam porro ejusmodi statuendorum Tyronum repartitionem, facilitandamque statutionis modalitatem, sequens sub Praesidio Suae Excellentiae Banalis Ordinata est Deputatio, opus suum in publico relatura, nimirum Excellentissimus Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis, Illustrissimus Dominus Comes Generalis Josephus Draskovich, Reverendissimus Dominus Georgius Malenich, Lector Venerabilis Capituli Zagrabiensis, Dominus Regni Vice-Banus, Dominus Protho-Notarius, Dominus Supremus Regni Exactor, Dominus Consiliarius Josephus Raffay, Dominus Lucas Novoszel, Zagrabiensis, Dominus Nicolaus Bedekovich, Varasdinensis, Dominus Antonius Janakovich, Crisiensis Comitatum Ordinarii Vice-Comites, et Dominus Ladislaus Szalle, pro actuario vero Dominus Nicolaus Skerlecz, Conferentiarum Regni Secretarius, cujusmodi Deputationis opere in publico consessu relato, idem approbatum est, tenore sequenti.

(Caeteris exmissis.)